ut intellegat non se esse episcopum, qui praeesse dilexerit, V 407 non prodesse. Itaque ab studio cognoscendae ueritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium ; locus uero superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quam ob rem otium sanctum quaerit caritas ueritatis ; negotium iustum suscipit necessitas caritatis. Quam sarcinam PL 648 si nullus inponit, percipiendae atque intuendae uacandum est ueritati ; si autem inponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem ; sed nec sic omni modo ueritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas et opprimat ista necessitas.

cap. XX Quam ob rem summum bonum ciuitatis Dei cum sit pax aeterna atque perfecta, non per quam mortales transeant nascendo atque moriendo, sed in qua inmortales maneant nihil aduersi omnino patiendo : quis est qui illam uitam uel beatissimam neget uel in eius comparatione istam, quae hic agitur, quantislibet animi et corporis externarumque rerum bonis plena sit, non miserrimam iudicet ? Quam tamen quicumque sic habet, ut eius usum referat ad illius finem, quam diligit ardentissime ac fidelissime sperat, non absurde dici μ 564 etiam nunc beatus potest, spe illa potius quam re ista. Res ista uero sine spe illa beatitudo falsa et magna miseria est ; non enim ueris animi bonis utitur, quoniam non est uera sapientia, quae intentionem suam in his quae prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter iusteque distribuit, non ad illum dirigit finem, ubi erit Deus omnia in omnibus, aeternitate certa et pace perfecta.

cap. XXI Quapropter nunc est locus, ut quam potero breuiter ac V 408 dilucide expediam, quod in secundo huius operis libro me demonstraturum esse promisi, secundum definitiones, quibus apud Ciceronem utitur Scipio in libris de re publica, numquam rem publicam fuisse Romanam. Breuiter enim rem publicam definit esse rem populi. Quae definitio si uera est, numquam fuit Romana res publica, quia numquam fuit res populi, quam definitionem uoluit esse rei publicae. Populum enim esse definiuit coetum multitudinis iuris consensu et

---

XX, **16** 1. Cor. 15, 28

XXI, **2** C. 21 ; cf. Cic. De rep. 2, 42 sqq. ; 3, 5

---

*episcopum*) .. superintendentem *p* **29** se *om. g* esse *om. H* esse se *p* **30** a stud. *v* **34** castitas *e* **35** suscepit $D^1$

XX, **10** Res uero ista *a v* **15** ad R *A G B D* in *r H* $a^2$ *b e g p v Hoffm.* ; *om.* $a^1$

XXI, **1** ac] et $e^1$ **5** enim] autem *p* **6** definiuit *g* **9** diffinit $B^1$ diffiniuit

utilitatis communione sociatum. Quid autem dicat iuris consensum, disputando explicat, per hoc ostendens geri sine iustitia non posse rem publicam ; ubi ergo iustitia uera non est, nec ius potest esse. Quod enim iure fit, profecto iuste fit ; quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt uel putanda iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiae fonte manauerit, falsumque esse, quod a quibusdam non recte sentientibus dici solet, id esse ius, quod ei, qui plus potest, utile est. Quocirca ubi non est uera iustitia, iuris consensu sociatus coetus *hominum non* potest esse et ideo nec populus iuxta illam Scipionis uel Ciceronis definitionem ; et si non populus, nec res populi, sed qualiscumque multitudinis, quae populi PL 649 nomine digna *non* est. Ac per hoc, si res publica res est populi et populus non est, qui consensu non sociatus est iuris, non est autem ius, ubi nulla iustitia est : procul dubio colligitur, ubi iustitia non est, non esse rem publicam. Iustitia porro ea V 409 uirtus est, quae sua cuique distribuit. Quae igitur iustitia est hominis, quae ipsum hominem Deo uero tollit et inmundis daemonibus subdit ? Hocine est sua cuique distribuere ? An qui fundum aufert eius, a quo emptus est, et tradit ei, qui nihil habet in eo iuris, iniustus est ; et qui se ipsum aufert dominanti Deo, a quo factus est, et malignis seruit spiritibus, iustus est ?

Disputatur certe acerrime atque fortissime in eisdem ipsis de re publica libris aduersus iniustitiam pro iustitia. Et quoniam, cum prius ageretur pro iniustitiae partibus contra iustitiam et diceretur nisi per iniustitiam rem publicam stare gerique non posse, hoc ueluti ualidissimum positum erat, iniustum esse, ut homines hominibus dominantibus seruiant ; quam tamen iniustitiam nisi sequatur imperiosa ciuitas, cuius est magna res publica, non eam posse prouinciis imperare : responsum est a parte iustitiae ideo iustum esse, quod talibus hominibus sit utilis seruitus, et pro utilitate eorum fieri, cum recte fit, id est cum improbis aufertur iniuriarum licentia, et domiti melius se habebunt, quia indomiti deterius se habue- μ 565 runt ; subditumque est, ut ista ratio firmaretur, ueluti a natura sumptum nobile exemplum atque dictum est : « Cur igitur Deus homini, *animus* imperat corpori, ratio libidini ceterisque uitiosis animi partibus ? » Plane hoc exemplo satis edoctum est quibusdam esse utilem seruitutem, et Deo quidem ut seruiatur utile esse omnibus. Seruiens autem Deo

---

*B*² **10** communis *B*¹ **14** autem *om. e*¹ *p* iniuste fit *p* **16** iustitia *D*¹ iustitia et *g* **29** hocine R *G* (*in ras.*), *r ed. Arg.* hocin *A e*¹ *g p* hocne *b e*² hoccine R, *G* (*in ras.*), *r ed. Arg.* ; nonne *H* est *om. B*¹ **30** eius R *A G r D* H *a g p* ei *e v* **35** adu. iust. pro iniust. *p* **36** pro iust. *D*¹ **38** gerique *A* (*21, 11 ; lib. 2 c. 21 identidem*) augerique R *G r* B D H *a b e g p v Hoffm.* **39** *sq.* iustum .. iustitiam *p* **42** talis *g* **45** se² *om. D H g p*

animus recte imperat corpori, inque ipso animo ratio Deo Domino subdita recte imperat libidini uitiisque ceteris. Quapropter ubi homo Deo non seruit, quid in eo putandum est esse iustitiae ? quando quidem Deo non seruiens nullo modo potest iuste animus corpori aut humana ratio uitiis imperare. Et si in homine tali non est ulla iustitia, procul dubio nec in V 410
hominum coetu, qui ex hominibus talibus constat. Non est hic ergo iuris ille consensus, qui hominum multitudinem populum facit, cuius res dicitur esse res publica. Nam de utilitate quid dicam, cuius etiam communione sociatus coetus hominum, sicut sese habet ista definitio, populus nuncupatur ? Quamuis enim, si diligenter adtendas, nec utilitas sit ulla uiuentium, qui uiuunt impie, sicut uiuit omnis, qui non seruit Deo seruitque daemonibus, tanto magis impiis, quanto magis sibi, cum sint inmundissimi spiritus, tamquam diis sacrificari uolunt : tamen quod de iuris consensu diximus satis esse arbitror, unde appareat per hanc definitionem non esse populum, cuius res publica esse dicatur, in quo iustitia non est. Si enim dicunt non spiritibus inmundis, sed diis bonis atque sanctis in sua re publica seruisse Romanos : numquid eadem totiens repetenda sunt, quae iam satis, immo ultra quam satis est diximus ? Quis enim ad hunc locum per superiores PL
huius operis libros peruenit, qui dubitare adhuc possit malis 650
et inpuris daemonibus seruisse Romanos, nisi uel nimium stolidus uel inpudentissime contentiosus ? Sed ut taceam quales sint, quos sacrificiis colebant : in lege ueri Dei scriptum est : *Sacrificans diis eradicabitur nisi Domino tantum.* Nec bonis igitur nec malis diis sacrificari uoluit, qui hoc cum tanta comminatione praecepit.

cap. XXII Sed responderi potest : « Quis iste Deus est aut unde dignus probatur, cui deberent obtemperare Romani, ut nullum deorum praeter ipsum colerent sacrificiis ? » Magnae caecita- V 411
tis est, adhuc quaerere, quis iste sit Deus. Ipse est Deus, cuius prophetae praedixerunt ista quae cernimus. Ipse est Deus, a quo responsum accepit Abraham : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod in Christo fieri, qui secundum carnem de illo semine exortus est, idem ipsi qui remanserunt huius nominis inimici, uelint nolintue, cognoscunt. Ipse est Deus, cuius diuinus Spiritus per eos locutus est, quorum

---

**78** Exod. 22, 20

XXII, **7** Gen. 22, 18

---

**53** ceterisque uitiis *D* **56** uitiis ceteris *e* **57** si in dī nomine *b* talis *D b* **59** hic ergo] enim *D* ; hic *sup. l. B* ille iuris *D* **60** res *om. B*[1] **62** se *B v* diffin. *B H* **63** adtendatur *p* **65** impius *D* **68** apparet *p* **70** sed iis *g* **73** quid *g* **77** sunt *e* **79** quia *g*[1]

XXII, **8** remanserant *e* **9** nomini *e*[1] uellint nollentue *g* **10** diuinitus *g p*

CORPVS CHRISTIANORVM

*Series Latina*

XLVIII

# AVRELII AVGVSTINI OPERA

*PARS XIV, 2*

TVRNHOLTI

TYPOGRAPHI BREPOLS EDITORES PONTIFICII

MCMLV

KCGC BR 60 .L37 v.48
Augustine 1977654 v.48
De civitate Dei

AVRE

TYPOGRA